

Tours 40(a) (lat)

XL^(a) IUDICIUM IUXTA QUOD CAUSA CONTINET

¹Veniens **ille** die **illo**, quod fecit mensis **ille** dies **tantos**, in loco nuncupante **illo** ante venerabilem virum **illum** suisque auditoribus vel reliquis viris, qui ibidem aderant vel subter firmaverunt, ibique interpellabat aliquem hominem nomine **illum**, dum diceret, eo quod hereditatem suam in loco nuncupante **illo**, quae ei erat debita, post se retineret vel ei malo ordine contradiceret iniuste. Interrogatus **ille** ante ipsos viros taliter dedit in responsis, quod ipsam hereditatem, quam ipse contra eum repetebat, genitor suus^a – *vel quilibet parens* – ipsam ei moriens dereliquerat, et de annis xxx inter ipsum et parentes suos, qui ipsam ei dereliquerant, ipsam tenuissent, et secundum legem ei sit debita. Dum sic intenderent, sic ipsi viri memorato homine decreverunt iudicium, ut in noctes **tantas**, quod evenit die **illo**^b apud homines **tantos**, sua manu **tanta**, in basilica sancti **illius** in loco nuncupante **illo** taliter debeat coniurare, quod ipsam hereditatem, quam ipse homo contra^c ipsum repetebat per annos xxx inter ipsum et memoratos parentes suos, qui ipsam hereditatem morientes^d ei dereliquerant, semper ipsam tenuissent, et per ipsos annos xxx secundum legem plus sit ipsa hereditas ei habendi debita, quam ipso homini reddendi. Si hoc ad eum placitum coniurare potuerit, ipsam hereditatem absque repetitione ipsius hominis omni tempore habeat elitigatam atque evindicatam. Sin autem non potuerit, hoc legibus emendare studeat.

His praesentibus actum fuit:

...

^asuus] *verb. aus suos* Wa₁

^billo] *ille* Zeu.

^ccontra ... repetebat] *auf Rasur* Wa₁

^dmorientes] *auf Rasur* Wa₁

¹[Zeu. Form. Tur. 39]